UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Papirii Massoni Descriptio Flvminvm Galliae, Qva Francia Est

**Masson, Jean Papire**

**Parisiis, 1678**

De Ægircio Flumine.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13059

Visual Library

GARUMNA. *Caſtel Sarazin.* *Le Tarn, r.* *Moiſſac.* *La Foſ.* *Le Gers, r.*

cœnobium ſuis vndis fovet; & eodem aquarum curſu pergens, relicto ad Orientem *Sarraceno* oppido, *Tarnem* fluvium prope *Mouſſiacum* monaſterium pleno alveo admittit. Per medios poſtea Aquitanos *Foſſanam* arcem egregiam & *Leyracium*, infra quod *Ægircius* fluvius ei permiſcetur, cujus deſcriptio ſequitur.

---

## De Ægircio Flumine.

*Le Gers.* ÆGIRCIVS oritur in Pyrenæis & in Valle *d'Eſten* nuncupata, vbi decurrit; magna planicies conſpicitur, inde petit Panaſcum vicum, & oppidum Sancti *Christophori Magnæ Sylvæ* in Comitatu *Aſtaracenſi*, poſtea Auſciorum vrbem metropolim alluit, ponteque iungitur: quæ loca in vera Vaſconia eſſe noſcuntur, vbi vulgò dicitur,

*Man-ceaube.* *Aſtarac.*

*Lo no es bon Guaſconet*
*Se no ſabe dezi*
*Higue, hogue, hagaſſet.*

Deinde ab Auſcis *Florentium* oppidum, & *Lactoratum* antiquitate, Epiſcopatu, pluribuſque monimentis nobiliſſimam vrbem etiam alluit, mox infra *Layracium* in Garumnam influit. Hic fluvius navigiorum minimè patiens, carpiones tamen alit, qui cæteris eius piſcibus excellunt. Nec auctorem alium à quo deſcriberetur, vmquam inveni, præter Fortunatum nondum Pictavenſem Epiſcopum, cùm Galliam luſtrans menſe Julio, id eſt ſummis caloribus, Pyrenæorum montes aſcendit. Verba ejus ſunt.

GARVMNA. *Lectore.*

*Laus tibi fortè minor fuerat, generoſe Garumna,*
*Si non exiguas alter haberet aquas*
*Lubricat hic quoniam tenuato Ægircius hauſtu,*
*Præfert divitias paupere fonte tuas.*
*Denique diſſimilem ſi comparet vllus vtrumque,*
*Hic vbi ſit rivus, tu, puto, Nilus eris.*
*Te famulans intrat, ſed hunc tua regna refrenant,*

GA-RVMNA latet.

Nam quantum Oceanum tumidis tu curſibus auges,
Ille tuas tantum creſcere præſtat aquas.
Torrida præſertim cum terris incubat æſtas,
Ac ſitiente ſolo triſtis anhelat ager.
Cum Titan radiis ferventibus exarat arva,
Et calor ignifero vomere findit humum,
Languidus arentes fugiens vix explicat unda,
Et cum piſce ſimul palpitat ipſe ſimul.
Flumine ſubducto vacuatus lambit arenas,
Sedibus in propriis exul oberrat aquis.
In lino migrante lacu conſumitur amnis,
Terraque fit ſterilis, quo fuit unda rapax.
Deficiunt vaſto ſolatia cuncta rigore,
Nomine cum proprio triſtis & ager eget.
Forte viator iter gradiens non invenit

hauſtus,
Unde alios recreet, qui ſitit ipſe ſibi. GA-RVM-NA.
Se cupit infundi fluvius, ſi porrigit undas,
Si tamen eſt fluvius qui madefactat humum,
Gurgitis impreſſas lambens rota ſignat arenas,
Atque reſudantes orbita ſiſtit aquas.
Si venias equitando viam ſub tempore Cancri,
Vix tamen inſidians ungula mergit equi.
Vidimus exiguum de limo ſurgere piſcem,
Qui retinente luto naufragus erat humo.
Nec fluvius, nec campus adeſt, nec terra, nec unda,
Piſcibus in mediis nullus arare poteſt.
Sola palude natans querulos dat rana ſuſurros,
Piſcibus excluſis advena regnat aquis.
At ſi fortè fluat tenuis de nubibus imber,

GARUMNA.

Vix pluit in terris, jam tumet iſte minax.
Ingentes animos parva de nube reſumit;
Fit ſubitò pelagus, qui fuit antè lacus.
Turbidus incedens vndis egit ipſe lavari,
Semper inæqualis, qui nihil, aut ſatis eſt.
Non ripis contentus, agit compendia curſus,
Quod de monte bibit per ſata plena vomit.
Vertice torrentis rapitur quaſi morte tyranni,
Indignatus iter munera vaſtat agri.
Diſcurrit ſeges in fluvio, ſtat piſcis in agro,
Ordine perverſo meſſe natante jacet.
Quæ fuerant ovibus, donantur paſcua ramis,
Prata tenent piſces, & trahit vnda pecus.
Obtinet expulſos ſtabulum campeſtre ſiluros,
Plus capitur terris, quàm modò

GARVMNA.

*piſcis aquis.*

*Sarcula quos foderent agros mala retia miſcent,*
*Figitur hic hamus, quo ſtetit antè palus.*
*Sors una eſt, piſcis ſiccet, aut flumina creſcant,*
*Nunc reſidet limo, nunc jacet exul agro.*
*Sed cur triſte diu loquimur de gurgite parvo?*
*Vritur & verbis, nec recreatur aquis.*
*Sufficiat flagrare ſibi, cur addo vapores,*
*Atque bis æſtivum creſcere tempus ago?*
*Vnica ſed tandem damus hæc ſolatia lacu,*
*Quod tribuit piſces evacuatus aquis.*

*La Garone. Agen.*

Poſtmodum Garumna *Agianum* Nitiobrigum vrbem Epiſcopalem felicibus glebis præſtantem fœcundo lapſu ſtringens, fatiſcentibus pene horreis locupletat. Et quidem commendatur Aginnenſis provinciæ præfectura & Prætorio Regio, necnon memoria Phœbadii

GARUMNA.

veteris Epiſcopi, cujus meminit D. Hieronymus. Extant adhuc medio in flumine prope vrbem inſignes pilæ lapideæ, quæ antiquitus ibi pontem erectum, & magnifici operis vetuſtatem teſtantur. Hæc civitas ſita eſt in regione pulchra, amœna, pingui ac fertili judicataque vna ex ditioribus & vberioribus Aquitaniæ totius, quòd eam irrigent tres amnes Oltus, Duranus, & Garumna: eſtque poſita in patentibus & latiſſimis campis. Videamus quid de ea Julius Cæſ. Scaliger ſcribit, qui Aginni domicilium ſedemque ſtudiorum fixit, Epiſcopi Aginnenſis de gente Roverorum liberalitate adductus. *Agennum oppidum eſt Aquitaniæ, vt incolæ jactant, princeps. Cæterùm neque hiſtoriarum, neque vllius memoriæ fide, ea fama illuſtris eſt. Nominis umbra modò Ptolomeo, Plinio, ſi tamen Ageſinates iidem ſunt, nota. Ager vbertate ſoli incertum eſt proſit ne magis incolis, an officiat: ita annonæ ſpe ſuſpenſi, omnia munia, non civilia ſolùm, ſed ruſtica quoque negligunt. Propterea animi cultui minus ſtudent.*

*Si quis tamen ad literarum ſtudia ſeſe applicat, lucro illectus agitur eam in partem, cujus ope fortunarum ſuarum promoveat gradum. Id unum hîc intuemur, ut acceptum patrimonium ampliore cenſu faciamus. Et ne vnus quidem liber venalis habetur, præter Juſtiniani proventum, & Grammatices rudimenta. Per octoginta amplius milliaria ab extremo vſque orbe mihi petenda fuit interdum bibliotheca, Baſilea, Florentia, Venetiis, atque Roma.* Hæc de Aginno Jul. Scaliger tradit in oratione pro Marco Tullio Cicerone contra Ciceronianum Eraſmi. GARVMNA.

Habet autem in Vaſconia ad meridiem Auſcios, Lectorenſes, Eluſates, & Sontiates Romanorum monumentis ſatis cognitos, quorum hi exiguam vrbem incolunt à Tholoſa diſtantem decem & octo milliaribus, ab Auſcis novem, tribus à Condomo, quam manſionem Heliæ Vineto autori doctiſſimo viro tribui notum eſt. Poſtea ſub Novempopulorum nomine comprehenſos, nunc verò Armeniaci Comitatus accolas. Ab Aginno Garumna ad oppidum *Mariæ Virginis*, *Migu i. lon.*

GA-RVMNA. indeque ad Acilionem vrbem, irrita Joannis, poſtea Regis Francorum, & tunc Ducis Normanniæ, quatuordecim menſium obſidione memorabilem, progreditur. Eſt è regione hujus oppidi *Baliſa* fluvius, poſtquam & *Condomienſes* & *Neratium* Albretiorum regnum ſubiit, tranquillus ſuas vndas Garumnæ inſinuat, & ex adverſa ripa prope mœnia Aguillioni primum acceſſione Oldi fluvii intumeſcit, iſque eſt ſecundus amnis quo Garumnam grandiorem fieri ſcribit Strabo, etſi eum non nominat. Ab hoc oppido ad *Tonenſium* vrbem vno milliari diſtantem, & è regione ſitam devolvitur, inde *Calmuntium* inſignem & præclaram arcem gentis Calmuntiorum in Condomienſi præfectura; denique *Marmandam* vltimam Aginnenſis provinciæ vrbem, hine per medios Vaſates fluens *Sancta Baſilia* oppidum attingit, & *Regulam* vrbem atque monaſterium opulento Benedictinorum Cœnobio notum, ſuis fructibus alit & juvat. Dimidia autem leuca à Regula fluit par-

*La Baiſe, r.* *Tonon,* *Caumont.* *Marmande.* *S. Baſile.* *La Reolle.*

vus amnis, *Drot* vulgò dictus, non longè à vico Girunda. Aimoinus de *Codrotio*, capite 19. vitæ Abbonis Philoſophi, Abbatiſque Floriacenſis. Ad *Dordanæ* fluenta ventum eſt, quo enavigato amne Vaſcones ſunt antequam ad Regulæ veniatur monaſterium. Codro torrens occurrit. Idem Aimoinus de miraculis ſancti Benedicti eiuſdem fluvii etiam meminit cap. 19. eodemque loco cap. 20. *Monaſterium Regulæ*, inquit, *in honore Principis Apoſtolorum Deo dicatum, in monte eſt poſitum. Qui videlicet mons à tribus lateribus orientali, aquilonali, & occidentali aliis cingitur montibus, à Meridie Garumna vallatur flumine, periculoſoque vallis voragine: ab Oriente inter ipſum & alterum montem vallis exiſtit peranguſta, per quam fons meat, quam incolæ Moſellam nuncupant. Simili modo ab Occidente alterius fontis rapido alluitur curſu, cui Moſa nomen eſt. Hæc nomina à Francis illis impoſita æſtimantur qui à magno Carolo, ad tuitionem provinciæ ibi relicti ſunt. Non longè quippe ibi abeſt palatium ipſius magni Principis.*

GARVMNA.
*La Drot r.*
*Codrot, r.*
*Dordogne.*

GARVMNA. Caſſenoles. Caſſignogilum, ſed quaſi tribus milliariis, in quo idem Imperator vxorem ſuam Ludovici Pii matrem, gravidam reliquit, dum contra Sarracenos expeditionem in Hiſpaniis ageret, quod & Eynardus vitæ illius relator ſcribit, & nos in libro miraculorum ſancti patris Benedicti breviter expreſſimus. A Regula igitur Gerundam vicum & arcem ejus nominis, è cujus latere Fluviolus nomnine Drot, qui per Duratium & Seguri-montis vrbes inſedit, multaſque molas frumentarias agens permiſcetur. De quibus Droto & Gerunda, aliiſque fluminibus Galliæ, hos verſus ſcripſit Poëta neſcio quis:

Dro, r. Mont-ſegur.

*Tu n'as rien veu que le Drot & Gironde,*
*Bien-toſt verras la Charante profonde,*
*Loyre au cours long, Seyne au port fructueux,*
*Saoune qui dort, le Roſne impetueux,*
*Auſſi la Somme, & forces autres rivieres,*
*Qui ont les bords de maintes villes fieres.*

In primo autem verſu, quo ait, nihil vidiſti præter Drotium & Girundam, poſtremum verbum accepit non pro vico, ſed pro flumine, qua in re communi errore deceptus eſt: ſunt enim qui inſano vulgi errore, & aliquot chirographorum auctoritate ducti putent ab hoc vocabulo Garumnam omnium fluminum Aquitaniæ principem, proprium nomen mutuaſſe, & à Burdigala ad Oceanum, in quem labitur, Gerundam nominari putent, cujus tabulæ nulla eſt ratio. Atque ea quæ ſunt à veteribus inſtituta, immutare ridiculum videtur; præſertim cùm notiſſimum ſit, in præcipuis Eccleſiarum membranis, atque in tabulario regio, Garumnæ nomen illæſum permanſiſſe; idque Lurbeus Burdigalenſis affirmat. Redeamus ad ignotum Poëtam. Citò, inquit, videbis Carantonum profundum atque altum, ſecundò Ligerim longiſſimi curſus, tertiò Sequanam mercimonia & fructus quamplurimos ferentem, quartò Ararim ob reſides aquas dormienti ſimilem, & cum eodem Rhodanum GARUMNA.

GARVMNA. impetu curſuque rapidum. Quintò & ſextò Somonam alioſque amnes qui plurimas vrbes alluunt. A Gerunda viculo fertur Garumna ad *Calderolium* oppidum, indeque ad antiqui operis Caſtellum nuper bellis civilibus dirutum, & prepemodum ſolo æquatum: ab hoc tribus aut quatuor milliaribus ad ſummum diſtat Coſtio Vaſatum vrbs antiqua. Auſonius cùm de patre ſuo loquitur ait:

*La Somme.*

*Caudecotr.*

*Coſtio Vaſatum municipale genus,*

Sidonius lib. 8. epiſt. 12. *Tantumne te Vaſatium civitas non ceſpiti impoſita, ſed pulveri tantùm Syrticus ager ac vagum ſolum, & volatiles ventis altercantibus arenæ ſibi poſſident, ut te magnis flagitatum precibus, parvis ſeparatim ſpatiis, multis expectatum diebus, attrahere Burdigalam non poteſtates, non amicitiæ, non opima illa vivariis oſtrea queant?*

Auſonius Edyllio 3.

*Vicinas vrbes colui patriáque domóque;*
*Vaſates patriâ, ſed lare Burdigalâ.*

Paulinus Auſonio epiſtolâ 15.

*Quique ſuperba tuæ contemnis mœnia Romæ,*

*Conſul arenoſas non dedignere*
*Vaſatas.* GARVMNA.

Marcellinus lib. 15. *Novempopulos Auſci commendant & Vaſatæ.* In Vaſatenſi verò præfectura Judex regius Præturam habet, Coſtioque ipſa municipium dignitate Epiſcopali ornata eſt. Inde Garumna oppidum Divi Macharii in Viviſcis, & paulò pòſt à læva *Alingonis* portum ultimam Vaſatenſium vrbem prætermittit. Langon. Sidonius lib. 8. epiſtolâ 13. *Poſt hæc portum Alingonis tam piger calcas, ac ſi tibi nunc eſſet ad limitem Danubinum contra incurſores Maſſagetas proficiſcendum.* Paulinus ipſe epiſtolâ ad Delphinum; *Fatemur venerandæ pietati tuæ legentibus nobis illam epiſtolæ partem, qua Alingonenſis Eccleſiæ nouam filiam te autore progenitam jam in nomine Domini vſque ad dedicationis diem creviſſe, ſingulas ita excitaſſe ſpiritum noſtrum in Deo ſalutari noſtro, vt tamquam in præſentibus cœtibus dedicantium intereſſemus.* Et epiſtolâ ad Amandum: *Rogo vt epiſtolam meam ad filium noſtrũ Daducium, etiamſi in Galliis agit, ſine vlla dilatione facias ab Epiſcopo tranſmitti per*

GARVMNA. *conſervum fidelem & impigrum, ſi clericum fortè noluerit occupare vnum de Alingonenſibus dignamini mittere cum epiſtolis veſtris, quibus litteræ noſtræ juventur.* Et paulò infrà: *Ecce jam Leontius meus facilè primus Aquitanorum, ecce parum inferior parente Paulinus ad locum, quem ſupradixi per Garumnæ fluentare fluentia, non modò tibi cum claſſe, verùm etiam cum flumine occurrent. Hæc omnia conveniunt, nunc è Vaſatibus Tigretium vult attrahere Burdigalam flumine, vt evitet pulverem Vaſatium.* Macharii verò oppido Garumna Oceani æſtuantis fluxus & refluxus ſuſcipit, biſque intra viginti quatuor horas vndas evomit ſuas, & reſorbet: ſic progrediens duobus ab illo municipiolo milliaribus collem teſtaceum ſubter Baſilicam parochiæ Sanctæ Crucis prætervehitur, in quo innumera oſtrea vacua quidem, ſed vera & genuina reperiuntur. Nec procul, ſed ripa adverſa viſitur

Ciron, r. *Ciro* fluviolus nobilis, qui è Vaſatis erumpens, & grandibus luciis & percis, quas delicias menſarum vocat Auſonius, atque pluribus

moletrinis populares ſuos juvans, GA-
in Garumnam effunditur. In Vaſa- RVM-
tibus quoque ſitæ ſunt belliſſimæ NA.
domus *Duraſſenſis*, & Templa duo *Duras.*
Clementis V. quæ Garumnam re-
ſpiciunt.

In ſecundo verò flumine Garum-
na *Cadillacum* gentis Candalliæ do- *Cadil-*
micilium, *Pondenſacum* & *Riun-* *lac.*
*tium* vrbes præterit, atque inde ſe *Poden-*
in plures alveos ſcindens, factiſque *zac.*
non paucis inſulis Burdigalam tan- *Rions.*
dem celeberrimum Aquitaniæ em-
porium totis veluti vlnis amplecti-
tur. Michaël Hoſpitalis doctus &
gravis Poëta:

*——Terraque marique poten-*[*tem*
*Burdegalem, portus vbi fluminis*
*vnda capaces*
*Mille carinarum facit æſtu infla-*
*ta marino.*

In Itinerario à Burdigala Hieruſa-
lem vſque, & ab Heraclea per Au-
lonam, & per vrbem Romam Me-
diolanum vſque ante annos mille
ducentos ſimpliciter ſcriptum edi-
tumque ex antiquiſſimo exemplari
anno 1588. à Petro Pitheo Jurecon-
ſulto Tricaſſino & amico meo, hæc

GARVMNA.

pauca de Burdigala traduntur. *Civitas Burdigala, vbi eſt fluvius Garumna, per quem facit mare Oceanum acceſſa & receſſa per leucas plus minus centum, ita tamen ad Burdigalæ littus ſuas vndas exporrigit, vt lunato ſinu bicornum portum effingat, idcirco ab exteris Portus lunæ dicitur.* Hoc vnum ſilere non poſſum, quod cùm ab ipſis Garumnæ fontibus ad littus Santonum ripa quæ Occidentem ſpectat, collibus amœniſſimis aſſurgat, non ſolùm vitibus, ſed & variarum arborum genere conſitis, tum maximè Burdigala inter cæteras hoc ornamento decora ſplendeat; ex adverſo enim inter vitiferos colles eminet clivus in orbem & occidentem, hoc vſu perantiquo præ cæteris viſendus, quòd ab vltima antiquitate hic mos ibi ſervatur, vt qui Burdigalam vinum aut aliud quid mercis exportaturi veniunt, illis ſolvere non antè liceat quàm cupreſſinum ramum à Quæſtore Regio acceperint. Quo facto pendit quælibet navis quinque aſſes ſive ſolidos Turonenſes, quod vectigal ramum vocant. A

GARVMNA. Burda. Gala. Becdambez. La Dordogne, r. Blaye.

Burdigala vrbe, Garumna jam latior factus, & magni in ſpeciem freti receptis fluviolis *Burda* & *Gala*, lucio piſce & moletrinis valde commodato, ad Promontorium quod accolæ vocant *Becdambez*, porrigitur. Ibi *Duranius* ſive *Dordonia* fluvius Garumnam conveniens, nec alvo nec æſtuoſo aquarum impetu diffuſus magis, totum cum terrarum tractum humectat. Exin à dextera perpetuo ſemper colle & vitium cultu fertili ad *Blaviam* oppidum arcemque munitiſſimam pertingit, quatuordecim à Burdigala, & ab oſtio Garumnæ triginta milliaribus. Auſonius in Epiſtolis:

*Aut iteratarum quâ gloria trita viarum*
*Fert militarem ad Blaviam.*

In vita Gregorii Turonenſis; *Cauſa*, inquit, *fuerat qua Germanam flumen juxta caſtrum Blaviæ tranſmeare debuerat, ſed idem fluvius ita tunc intumuerat, vt intuenti non parvum terrorem incuteret.* In qua vita *Germanam* Librarii pro *Garumnam* mendoſè ſcripſerunt. Erat autem Blavia olim ſub diſpoſitione viri

GARVMNA. ſpectabilis Ducis tractatus Armoricani, vt videre licet in Notitia Imperii Romani, & hodierno die cuſtodes vigileſque habet perpetuos, qui ex eodem loco tamquam ex ſpecula' quid tota Garumna rerum afferatur, diligenter obſervent, inolevitque mos ab expulſis Aquitaniâ Anglis, in hunc diem, vt minimè his liceat navibus Burdigalam tendere, etſi priùs ante Blaviam ſupparum & reliqua vela ſubmiſerint, & poſitis anchoris tormenta ænea conſignarint, arciſque Præfecto ſingularum navium ergò aureum perſolverint. Hinc à dextra littus Santonicum continuo veluti jugo vſque ad Garumnæ oſtia prominet. Non deſunt autem in eo littore oppida & portus, ad quos appellunt qui Santones eunt Burdigala, necnon arces munitiſſimæ. *Caunac Talmõt* Hujuſmodi ſunt *Caunacum* & *Mauritaniæ* principatus. Exin *Talemundum* oppidum & portus non infrequens inter *ſancti Severini* & *Meches* vicum, non tam agricolis, etiamſi in infertili ſolo, quàm nautis celebres. Supereſt extremum littoris Santonici in Garumna oppidum

pidum *Roianum*, parvum quidem, ſed munitiſſimum, & contra ſubitos pyratarum impetus paratiſſimum. Juxta hoc oppidum frequens piſcatio trichiarum, quæ recentes à Burdegalenſibus & à tota vicinia in deliciis habentur. Reſtant *Alvertini* littoris accolæ, cujus maxima pars arenaceis montibus aſſurgit, quibus plurima ædificia, quæ antiquitus apparebant, tamquam maris hauſtu obteguntur. E regione verò, altera pars ad *Medullos* pertinet. Auſonius Theoni:

GARVMNA. *Royan.*

*Medoc.*

*Puppe citus propera, ſinuoſaque lintea veli*
*Pando, Medullini te feret aura noti.*
*Expoſitum ſubter paradas, lectoque jacentem,*
*Corporis vt tanti non moveatur onus?*
*Vnus à Domnotoni te littore perferet æſtus,*
*Condatem ad portum ſi modò deproperes.*
*Inque vicem venti quotiens tua flamina ceſſant,*

GA-RVM-NA.

*Remipedem jubeas protinus ire ratem.*
*Invenies præſto ſubjuncta petorita mulis,*
*Villa Lucani mox potieris aco.*
*Reſciſſo diſce componere nomine verſum,*
*Lucilii vatis ſic imitator eris.*

Primum à Burdigala ad ripam Garumnæ vicum ab incolis dictum *Macaum* ex adverſo Duranii oſtii habet. Inde Auſonii *Pauliacus*, portu non infido, ad extremum Arx *Caſtillionea* & *Solacum*, quod antiqui dixere *Noviomagum*: à quo non longè diſſitus ſinus, quem Garumna prope ipſum oſtium efficit, Verdunum ab incolis dictum, Eo loci ſtatio bene fida carinis, ingruente præſertim Africo, qui Oceano Aquitanico atrox, ſævus & infeſtus. Etſi autem Garumna in ipſo oſtio propter ſcopulorum & ſabulorum ſyrtes periculoſus videatur, tamen Oceanum vel Garumnam intrantibus triplicem veluti faucem aperit, qua ingreſſum vel exitum minimè metuendum præſtat, ſcilicet à latere Medulorũ, paſ-

ſum, quem Glareoſum vocant, & in ipſo oſtii meditullio Aſinorum qui à navigantibus frequentiùs teritur, & à littore Santonico *Foramen Maubuſſonii* & *Coveræ*, quæ à Rupella & ab inſulis Santonicis aditum & reditum permittit. Deſideratur autem hodie in ipſo Garumnæ oſtio *Antros* inſula à Pomponio Mela commemorata, ſive maris fluctibus, ſive arenæ motibus abſorpta fuerit. Putarim ego tamen reliquias ejus inſulæ eo loci ſupereſſe, vbi Pharos ingens à multis ſeculis conſtructa eſt, navigantium curſum regens, quæ *Corduana Turris* vocatur. Ea cùm imbrium & ventorum tempeſtate, necnon inſanis Oceani fluctibus ruinam minaretur, tamen Principis beneficio, & impenſis publicis inſtaurari hoc tempore, vt Lurbeus ait, cœpta eſt, ſed adeò egregia & divite opera, vt ipſam Alexandriæ Pharon tot ſcriptorum & ſeculorum fama præſtantem ſuperet. Ex qua lucerna accendenda duobus Eremitis mandatur, quibus alimenta, ſigno dato, ex vicino oppido vel

GARVMNA.]

*Le Pertuis de Maubuſſon.*

*la Toür de Cordoan.*

GARUMNA.

pago deferuntur, ex vectigali quod à ſingulis navibus ejuſce rei gratiâ Burdigalæ penditur. Hinc ad montes *Arenarum* regio latè patet, quæ tam ſunt exiles minutæque, ut à vento concitatæ hac & illac impellantur, exiliantque vſque adeò, vt patrum noſtrorum memoriâ, furente ventorum flatu, una aut altera parochia obruta opertaque fuerit, ſola templi parte excepta. Ex eo eventu Templum Divi Joannis ab Arenis nominatum eſt. Illic in cacumine arborum lepores, apros, damas, cervos, atque alia exteris incredibilia conſpicias: cujus rei fides eſto penes Alanum Santonicum. Non paulum autem à fertili Santonum gleba diſtat Medulorum ſolum arenis & pulvere ſquallidum, quibus, vt ait Auſonius,

*——littus arandum*
*Oceani finem juxta, ſolemq; cadentem*
*Vilis arundineis cohibet quem pergula teſtis.*

Scatent enim æſtuaria paludeſque Medulorum arundine, ex qua plebi inopi parantur ædificia; abundant

tamen *Meduli* pecore, ſecale, & milio. Bernardus cognomento Allianus, Hiſtoriæ Gallicanæ ſcriptor, apud Medulos natus, mihi retulit Medulos non eſſe inſulam, vt ferè opinio eſt, ſed continentem regionem planè infertilem; abundare tamen ſubere, pice, reſina, tædis, & ejuſmodi rebus. Nec ea pars quæ littori proxima eſt, caret vitibus, ſicut & prope Solacum non deſunt ſalinæ, necnon quàm proximè in ipſo Garumnæ oſtio frequens eſt oſtreorum piſcatus ſingularis & ſuaviſſimi ſucci, quæ Burdigalenſes Glareoſa & Solacenſia appellant, quorum Auſonius his verbis meminit; GA-RVM-NA. *Medoquins.*

*Sed mihi præ cunctis ditiſſima, quæ Medulorum*
*Educat Oceanus, & quæ Burdegalenſia nomen*
*Vſque ad Cæſareas tulit admiratio menſas.*

Notandum eſt autem ex Sidonio epiſtolâ 12. lib. 8. fuiſſe olim Burdigalæ oſtreorum vivaria, quemadmodum & in Italia pluribus in locis. Opimata enim vivariis oſtrea vocat, dum Tigretium ad ſubju-

GARVMNA.

gandos Medulicæ ſupellectilis epulones invitat his verbis : *Veni cum Mediterraneo inſtructu ad debellandos ſubjugandoſque iſtos Medulicæ ſupellectilis epulones. Hic ad copias Lapurdenſium locuſtarum cedat vilium turba cancrorum.*

Auſonius Theoni cùm triginta oſtrea grandia quidem, ſed tam pauca miſiſſet,

*Oſtrea balanis certantia, quæ Medulorum*
*Dulcibus in ſtagnis reflui maris æſtus opimat;*
*Accipe, dilecte Theon, numerabile munus.*

Idem Paulo ſuo:

*Oſtrea nobilium ſenis ſumptuque nepotum*
*Cognita, diverſaque maris defoſſa profundo:*
*Aut refugis nudata vndis, aut ſcrupea ſubter*
*Antra, & muriceis ſcopulorum merſa lacunis.*
*Quæ viridis muſcus, quæ dedecor alga recondit,*
*Quæ teſtis concreta ſuis, ceu ſaxa cohærent:*

Quæ mutata loco, pingui mox condi- GARVM-
ta limo, NA.
Nutrit ſecretus concluſa vigilinis
humor,
Enumerare jubes, vetus ô mi Paule
ſodalis.
Deinde paucis interpoſitis:
Enumerabo tamen famam teſteſque
ſequutus
Pro ſtudiis hominum ſemper diverſa
probantum.
Sed mihi præ cunctis ditiſſima quæ
Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdigalen-
ſia, nomen
Uſque ad Cæſareas tulit admiratio
menſas,
Non laudata minùs noſtri, quàm
gloria vini,
Hæc inter cunctas palmam meruere
priorem.
Omnibus ex longo cedentibus iſta, &
opimi
Viſceris & nivei, dulcique tenerrima
ſucco,
Miſcent æquoreum tenui ſale tincta
ſaporem,
Proxima ſint quævis, ſed longè pro-
xima multo

GARVMNA Ex intervallo, quæ Maſſilienſia portu
Quæ Narbo ad Veneris nutrit, cultuque carentis
Heleſpontiaci quæ protegit æquor Abidi,
Vel quæ Balanis pendent fluitantia palis,
Sanctonico quæ tecta ſalo, quæ nota Genonis,
Aut Eborum mixtus pelago quæ protegit amnis:
Ut multo jaceant algarum obducta receſſu,
Aſpera quæ teſtis & dulcia farris opimæ.
Sunt & Armorici qui laudent Oſtrea ponti,
Et quæ Pictonici legit accola littoris, & quæ
Mira Caledonius nonnunquam detegit æſtus.

Medulis contigui Boii, quos Paulinus piceos nominat, infeliciſſimo ſolo habitant: in quo nihil præter arenam, ſabuleta ac pineas ſilvas invenias: quibus tamen ex pinetis, quæ reſinam & picem ferunt, vberem quæſtum faciunt. Horum

enim maximam copiam Burdigalam ſingulis Veneris diebus ruſticani carris advehunt. Atque inter Burdigalam & Baionam regio abundat pineſtris ſilveſtribus. Pertingunt autem Boii ad Oceanum juxta promontorium *Curianum*, ita à Ptolomeo dictum. Eoque loci *Leria* fluvius è Vaſatis in Oceanum defertur. Idem ſcriptor Auſonius Ædilio nono:

GARUMNA.

*Cap de Buſch.*

*Leyre, r.*

*Inſpeciem cùm me patriæ cultumque nitentem,*
*Burdigalæ blando pepulerunt omnia viſu:*

Cui Paulinus ita reſpondet epiſt. 15.

*An tibi, mi Domine illuſtris, ſi ſcribere ſit mens,*
*Qua regione habites, placeat reticere nitentem*
*Burdigalam, & piceos malim deſcribere Boios.*

Antoninus in Itineratio, ab aquis Tarbellicis Boios Burdigalam uſque numerat mille paſſus ſexdecim, enumerantur leucæ decem, & Boiorum caput certum eſt ſeptem tantùm leucis à Burdigala abeſſe;

GARVMNA. ſi iter terrâ conficias.

Ora autem Aquitaniæ maritima à Burdegala Baionam pergentibus protendit in leucas triginta, & alioquin infructuoſa & ſterilis: abundat tamẽ melle, lacte & ſubere. Quod ſpacium & longitudinem itineris incolæ atque exteri appellant Hiſpanica voce *llanas*, id eſt planiciem, ſeu Aquitanicas *Landas*, ſteriles & infructuoſas. Itaque Garumna circiter centum & ſexaginta milliaribus ſive octoginta leucis Vaſconicis à Pyrenæo ad Oceanum fluens, tot ingentes belli paciſque artibus populos ſuis fluctibus alluit, magnarum vrbium faſtigio ſuperbit, & gemino præcellens Senatu, patentes campos ſaginat, navigiis ſuorum & omnium exterarum gentium commercia juvat, facilemque aditum & reditum præbet, ut non immeritò fluviorum eximius dici poſſit Salve itaque Rex fluviorum. Hoc te iterum verſu cum Viviſco Poëta compellare libet,

*Dicamus læto per rura virentia tractu*
*Felicem fluvium Oceanique ſacrex*

*mus in undis.*

GARUMNA.

Ptolomæi hæc ſunt verba ; *Poſt Occaſum Pyrenes promontorium Aturii fluminis oſtium , Curianum promontorium , Sigmani Garumnæ fluminis oſtium.* De Atturio flumine Curianoque promontorio jam diximus. Reſtat igitur de Sigmano dicere. Mihi percunctanti à quodam erudito viro in illa ora maritima educato, natoque, ubi putaret Sigmanum eſſe, reſpondit, Templum virginis Achaſſoniæ eſſe ſuper exiguum rivulum , qui juxta id Templum Achaſſonis , nec procul influit in ſinum maris , iſque locus eſt inter Burdigalam, & quas Landas viatores vocant.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN